



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Praefatio

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS.
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
LIBER NONVS.

Qui est de prædestinatione hominum
& Angelorum.

P R Æ F A T I O



PXREDITIS iisque de medicinalis gratiæ natura, effectibus, diversitate, & concordia cum libero voluntatis arbitrio dicenda videbantur, reliquum est ut nonnihil etiam de causa ejus, hoc est, de prædestinatione, itemque de reprobatione, utriusque status comparatione, innocentis damnatiue dicamus. Disputatio quippe de prædestinatione tam conjuncta est ei quæ de gratiâ instituitur, ut natura unius ad unguem sciri sine alterius cognitione non possit. Unde proficiscitur, ut quot in partes Neotericorum schola de gratiæ operatione distractæ fuerint, totidem etiam opinionum dissensionibus inter se de prædestinatione contenderint. Nam alii de salute totius creaturæ rationalis, ante prævisa ulla merita vel bona vel mala, decretum immutabile sancitum esse volunt, quo quibusdam præteritis, quidam in gloriam assumerentur: alii tale decretum de nullis assumendis aut relinquendis, ante prævisa merita esse conditum: alii aliter de rebus istis differunt, suo quisque modo, prout gratiâ quam tuentur, postula verit. Ex quo effectum est, ut non exiguis quoque tricis ista materia implicata sit; dum suos pars quæque nervos intendit ut opinionem suam, vel Dei magnificentia & libertati, ac dominatrici potestati, vel hominum illorum consolationi accommodet; qui nihil impatientius ferunt, quam salutem suam in aliena potestate esse constitutam. Vtriusque philosophia non mediocriter suas partes egit, cujus principis magis utraque pars, quam antiquæ & Augustiniana doctrina nititur. Hanc enim si magna ista ingenia vel indagando penetrassent, vel tanta sedulitate indagare statuissent, quanta subtilium & plausibilium rationum argumenta sectati sunt, invenissent, quantum mihi conjicere licet, aspera in vias planas. Nam præcipuæ difficultates in hanc materiam, ex nimia ratiocinationum philosophicarum contentione accersitæ sunt. Nos igitur Deo conatibus nostris aspirante, de præcipuis nodis, sanctissimi Doctoris mentem; hoc est, Ecclesiæ Catholicæ sensum, quàm fieri poterit fidelissime, brevissimeque declarabimus. Nam de omnibus istis subtilitatibus disserere, quæ nunc in scholis disputantur, nec nostri instituti est, nec verò necessarium, Nam ex ijs quæ dicturi sumus, pleraque per seipsa consequentur.

P p

CAP.